



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

S. Phosterivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

Menologium huius continet acta 19. Maij, ubi filius Patiani proconsulis dicitur. Eubiotus prope simili perfunctus vitâ, post sexcenta tormēta in solitudine tamen diem suum obiit 18. Decembris.

S. PHOSTERIVS.

j. Januar.

Hic S. noster Pater Phosterius ex Oriente, veluti sol quidam effulgens occidentem splendore suo illustravit. Cum enim altam rupem, & ab omni strepitu remotam ascendisset, purissimis Deum precibus coluit, cibiq; abstinentia, insomniaq; & chameuniis, cæterisq; corporis afflictionibus se ipsum discruciando verè sidus videbatur, nomineq; rebus conueniente, orbem omnem luminis fulgore impleuit. Corpus autem castimoniâ illibatum, mentem sanctimoniâ consecravit, Deique expressam animi similitudinem uti erat capax, custodiendo, spiritus sancti sacrarium efficit. Etenim miraculis à Deo auctus & exornatus, morbos omnes, omnisq; generis ægritudines, à quacunque hominum sorte precando depulit, panesque diuinitus, ut olim Elias vates, * accepit. Sed ille per coruum, hic verò per cœlitis manum capiebat. Angelus igitur erat, qui huic quot diebus, certe

* *Ex postea
Paulus pri-
missus cum
Antonio.*

certo quodam loco, certa quadam dispensatione panem se posuit. Quod si unus, alterius, aut tres plures religiosi fratres peregrinè aduenissent, totidem panes eodem in loco per se reperiebantur. *Quis* *vnquam tam* *inusitatum* *miraculum* *vel oculis usurpauit, vel per auditionem accepit?* Sed cū absque Deo nihil possit nostra deprecatio, non usque ad vitę finem hoc Dei munus illi est concessum. Sed Prophetæ quidem ad aliquos duntaxat dies, beato verò huic ad annos non paucos, quoad nempe vitam solitariam & inopem est sectatus. Postquam verò cœnobiū ope numinis excitauit, plurimosque in eo monachos Deo dedicauit, non è cœlo, ut ante, victimum accepit, sed ex quotidiano manus opere omnibus necessaria præbuit: non quod id Deus non posset, apage os impium, quomodo enim, quietot millia ingratorum Hebræorum in solitudine pauit, non possit fidissimos, sibiq; gratissimos cultores & alumnos pascere? patet res: neque rursum, sancti viri preces Deus aspernatus est, absit: quin neque pro subtracto pastu vnquam deprecatus est. Quærите enim, inquit Christus, regnum cœlorum, & hæc omnia adiicientur vobis. Nec rursum placet Deo otium nostrum a-

*Et in eaque
prophetam.*

Iere. Hinc præcepit Deus famulo suo Phosterio, ut ne quid ab alio acciperet, sed manus operâ omnia sibi, suisque compararet. Nihil enim à quoquam accipiebat, atque ab eo tempore non verbo tantum docuit suos alumnos, quo pacto faciendo opere essent occupandi, studioq; precandi & legendi vacarent, sed re ipsa & factis id ipsis ostendebat. Cum porro ea tempestate hæresis in Ecclesia Dei grassaretur, multisque coactis patribus & ipse euocaretur, venire minimè recusauit, req; benè gestâ, summâ de se omnibus admirationem commouit, multosque ex multis errorum sectis ad veritatem traduxit, pluresque suis adhortationibus ad vitæ monâsticæ disciplinam attraxit, multaque miracula viuus mortuusque edidit. Obiit quinta Ianuarii ad vesperam.

9. Ianuar.

S. EVSTRATIVS Thaumaturgus.

*De alio
Eustratio
martyre
leges infra
in Syntag-
mate de*

HIC è Tarsia, sic indigitata regio est, optimatum ordini subiectâ, vico Bitziano, religiosis admodum parentibus & copiosis Georgio & Megethone oriundus, ab illis honeste educatus & institutus, cum annum